

Schneider

Da 260







1811

Da





11, 154

Ta 260





NIC. GVIL. SCHROEDERI

A. L. M. ET PHIL. D.

PROGRAMMA  
ACADEMICVM,

DE

ANTIQA LINGVAE

ARABICAE ORIGINE,

ET

HINC FLVENTE INTIMA EIVS CVM  
HEBRAEA CONSANGVINITATE.

QVO

*GENEROSOS, NOBILISSIMOS ET DOCTISSIMOS  
DNN. COMMILITONES*

ΦΙΛΟΓΩΤΤΟΥΣ

AD

AVDIENDAS LECTIONES

IN

LINGVAS ORIENTALES

EA, QVA PAR EST, HVMANITATE

INVITAT.

---

*MARBURGI CATTORVM,*

*TYPIS PHILIPPI CASIMIRI MULLERI. ACAD. TYP.*

*A. R. S. MDCCXLIII.*





NIC. GYLL. SCHROEDER  
A. L. M. et P. D.

PROGRAMMA  
ACADEMICVM

DR.  
ANTIOVA LINGVAE  
ARABICAE ORIGINIS

ET  
HINC FIVENTE INTIMA FIVS CVM  
HERRAE CONSANGVINITATE

GENROSOS, AORRANOS, AORRANOS



WABBURG CAYORAM  
TYPE PHILIPPI CASIMIRI MULLER AGR. TY  
A. R. S. MDCCLXIII







## Q. F. F. Q. S.

**Q**uam diversae sint Virorum Eruditorum circa Literaturæ Hebrææ cognitionem & acquirendam & perficiendam sententiæ, neminem, qui in addiscendis hujus Linguae ad nostra usque tempora fatis, & genuina ejus indole perspicienda, aliquam collocaverit operam, latere potest. Cum enim ob temporum injuriam, et populi Iudaici calamitates, antiquis destituamur monumentis, ex quibus pleniorẽ linguæ cognitionem, ad intelligenda divina oracula pernecessariam, hauriremus; gravissima oritur quæstio, unde petenda adminicula sint, quæ inde subnatos defectus suppleant, &, quod desideratur, largiter sufficiant ac subministrent. In his, non nunc dicam adhibendis, sed determinandis, varii variam ingrediuntur viam. Sunt, qui ad antiquarum S. Codicis Versionum fidem unice recurrunt. Alii Rabbinos solos ducunt optimosque patriæ & vernaculæ olim Linguæ interpretes. Longum foret ire per singula. Nec dissitendum, esse in iis, quæ nunc tetigimus, aliquid utilitatis. Nondum tamen hæc subsidia omnem, quæ requiritur, opem conferre, facili equidem negotio prolixius probari posset. Versionum id loquitur inconstantia, frequens a Textu aberratio, & obscuræ sæpe ac flexiloquæ expressiones. Rabbinis aqua frequenter hæret, ex quorum memoria, ab antiquis jam temporibus, complura Themata exciderunt. Si quid autem recte tradidere, id inde est, quod subinde ea subsidia, quæ nunc commendaturi sumus, adhibuerint. Quibus expensis, quotquot defæcatum adhibuerint judicium, agnoscere mecum non detre-  
tabunt, opem, hunc in finem præsentissimam, non nisi a

❁ ❁ ❁

reliquis Hebrææ Linguæ Dialectis expectari posse, ex eadem olim stirpe prognatis, pluriumque monumentorum copia ad nos transmissis. Quas inter, licet & Chaldaicam, Syriacam, Æthiopicam, in magno habeamus pretio, principem tamen merito locum Arabica sibi vindicabit; si canam ejus antiquitatem, arctam cum Hebræa consanguinitatem, affluentem divitiis, & præfloratam nunquam puritatem attentius consideremus. Quæ omnia in luce collocare, & ad omnium oculos commonstrare, quanquam nunc quidem per angustiam plagulæ non licet; animus tamen est, antiquam hujus linguæ originem, qua se maxime commendat, fluentemque hinc prono alveo intimam cum Hebræa cognationem, & usum, quem in explicando Textu Hebræo S. nobis præstat, insignem, paucis detegere, eoque pacto scrupulum eximere, qui multorum animis hæctenus infedit, existimantium, longe recentiorum esse Arabum Sermonem, quam ut cum Hebræo, tanquam Primævo, & Antediluviano, aliquid habeat commune.

Quem in finem liceat nobis, tanquam indubiam, & solide non minus quam operose ab aliis evictam veritatem, supponere, eandem Linguam, quæ ab *Hebero* deinceps *Hebrææ* nomen sortita fuit, & nunc in Sacro V. T. Codice prostat, apud primos nostros Parentes, primique orbis incolas viguisse. Neque minus certum, ipso quoque eventu comprobante, illam in *Linea* saltem, uti vocatur, *Sanctorum*, nullam in partem corruptam esse, vel adulteratam, sed illibatam, post ipsam quoque Babylonicam confusionem, permanisse. Hac itaque perperua successione, legitima primævæ Linguæ possessio ad *Heberum* devenit, eam eadem, qua acceperat, puritate ad filios, quos duos habebat, *Phalegum* & *Jostanem*, Genes. X. 25. transmittentem. Major natu *Phalegus*, Abrahami atavus, linguam a Parente traditam, & ab ejus nomine nunc demum *Hebræam* dictam, ideo quod, tanquam primogenitus, in paterna jura succederet, eodem sub titulo, in sua familia, aservavit, et ad posteros, in recta saltem linea descendentes, Abrahamum, atque Isaacum, Israëliitarum, per Iacobum filium, profeminatorem, propagavit. Minorem vero natu  
*Hebe-*



Heberi filium *Joctanem*, in eadem, cum *Pbalego*, domo natum & educatum, eandem, cum ipso, Linguam, Primævam putata, vernaculam Parentibus, combibisse, suisque filiis, quos tredecim habebat, Gen. X. 26. s. eadem fidelitate tradidisse, dubium nullum æquis rerum æstimatoribus superesse potest. Ajo itaque, hos, a Mose enumeratos, *Joctanis* filios in *Arabiam* Peninsulam fecessisse, firmamque ibi sedem fixisse. Non uno id evinci potest argumento, & extra controversiam collocari.

Nam primo Mofes, sedes ab iis occupatas definiens, ait: **ויהי מושבם ממשא נאכה ספרה הר הקדש** *Fuit locus habitatio- nis eorum a Mesa, donec venias ad Sapharam, montem Orientis.* Dubitari profecto nequit, **משה** *Mesa* portum esse, & emporium illud celeberrimum Felicis *Arabia*, ad mare rubrum, hodieque Arabibus **مزي** *Masa* dictum. *Ptolemaeus* appellat **Μαζα** *ἐμπόριον*, eique dat longitud. 74, 30. latit. 14. Quo nomine & apud *Plinium* hic portus memoratur, a mercatoribus thuris & odorum Arabicorum frequentatus, *Hist. Nat. Lib. 6. c. 25.* ut & apud *Arrianum* in *Periplo maris Erythræi*. Istius vero **ספר** *Sapharis* sedes pariter in Arabia Felici reperitur. Mentionem ejus *Plinius* facit, l. c. qui recte *Saphar* scribit, cum *Ptolemaus* l. 6. c. 7. **Σαπφάρ** habeat. Apud Arabes hæc Urbs **ظفار** *Dsaphar* audit. Apud *Abulfedam* locus hic obtinet Long. 78. Lat. 15. Ejus situm his exponit: **ظفار مدينة علي ساحل خور قد خرج من البصر الجنوبي** *وطلعن في البر في جهة الشمال نكو مائة ميل وعلي طرف هذا الخور مدينة ظفار وظفار قاعدة بلاد* *Dsaphar urbs est sita super litus sinus, exeuntis e mari Australi, qui in continentem, septentrionem versus, intrat, circiter centum milliaria. In extremo hujus sinus recessu posita urbs Dsaphar, qua metropolis est regionis Alschobar. Nimirum regiam sedem hic habuere Hamjarita, Ptolemæi Homerita, ab Hamjare, abnepote Joctanis, oriundi.*





Verum *secundo* Joctanem, vel ejus saltem filios, in Arabia sedem fixisse, inde quam clarissime colligitur, quod fere omnium *Joctanidarum* nomina, prout ea Moses memoriae prodidit, l. c. in cognominibus Arabiae locis, urbibus vel regionibus hodieque supersint, per Graecorum aequae ac ipsorum Arabum monumenta celebratis. Ut argumentum clarius evadat, nec dubitationi locus relinquatur, demus aliquot exempla. Tertio Joctanis filio nomen erat חצרמות *Chazarmavet*. Superstes id hodie in florentissima Arabum regione, ipsis totidem, quin iisdem, literis حَضْرَمَوْت *Chadramaut* appellata. Graecis Ἀδραμύττα vocatur, ut *Theophrasto* in *Hist. Plant.* lib. 8. c. 4. & *Straboni*, non uno in loco; qui eam recte in australioribus felicis Arabiae partibus collocat; neque enim diei itinere a vicino mari, quod in specie *Arabicum*, distat, sabulosis tantum montibus interjectis. De ea laudatus Arabum Geographus: وحضرموت وهي بلد عامر كنيه النيد وبيتها وبين الشكر اربعة ايام *Chadramaut regio est Alnamadais inhabitata, ab Alschobar quatuor dierum distans itinere.* Urbem quoque in hac provincia *Chadramaut* sitam esse, ei cognominem, ex *Alfergani Elem.* *Astron.* constat.

A Sexto Joctanis Filio, אוזל *Uzal* dicto, urbs ازال *Ozal*, *Golio* teste, totius regionis *faman* metropolis, magnitudine & celebritate *Damascum* aequans, nomen traxit. Quae deinceps etiam سانا *Sanaa*, ab *Usalis* filio, cui id nomen fuisse tradunt, appellata.

Ab אוכל *Obale*, qui in Mosis Catalogo Joctanidarum octavus compareret, *Avakital* descendunt, fretum *Troglodyticum* accolentes, *Arriano* in *Periplo maris Erythraei*, *Marciano Heracleota*, aliisque pluribus antiquitatum Scriptoribus, memorati.

Manifesta res de שכנא *Saba* decimo Joctanis filio, a quo سبأ *Sabaa* provincia, auri maxime thurisque copia in sacris aequae ac profanis monumentis celebrata, nomen accepit. Ejus metropolis مارب *Marib* vocatur, *Eratostheni* *Magiaba* dicta, tribus quatuorve stationibus a *Sanaa*, secundum *Abulfedam* distans.

Acce-





Accedat nunc *tertio* domesticum ipsorum Arabum testimonium, ab ipso illo *Joctane* suos, constanti & antiquissima traditione, natales deducendum. Quam in rem plures magni apud illos nominis Scriptores adduci possent, nisi presentis instituti ratio prohiberet. Cujus originis celebritas & inde colligitur, quod non aliam Græcorum statuunt Historici, tradentes, Arabum *indotiqes* esse τῆς *Iuctav*, a *Joctane* oriundos. Ex his stricturis intelligitur, illam Arabum Linguam ita esse antiquissimam, ut iisdem cum Hebræa natalibus gaudeat, Lingua Antediluviana per *Phalegum* & *Joctanem* fratres, in duabus diversis regionibus, instar duorum ramorum, ex eadem stirpe procrefcentium, propagata.

At vero, quod maximum ad rem presentem adfert momentum, eadem lingua, uti a Conditore gentis *Joctane* in felicem illam Arabiam illata fuit, ita in nativa puritate & pristina integritate ad nostra usque tempora eduravit, nec per tot seculorum decursum ab ingenua indole degeneravit. Neque id paradoxum cuiquam videbitur, si consideret, omnes causas, mutationem linguæ inducentes, hic abfuisse. Nunquam enim felices illi Peninsulani alieni domini jugum scibiere, nullis expositi externorum hostium invasionibus, nullis unquam Persis, Græcis, Romanis, superati; tota eorum regione tot maribus, montibus & arenosis desertis undequaque circumvallata, ut, accedente bellicosorum incolarum virtute, peregrinis armis accessus omnis penitus fuerit praeclusus. Hoc pacto dissociata a reliquo orbe provincia, seclusus ab aliis populis hic terræ angulus, antiquis nunquam incolis nudatus, sub continuo *Joctanidarum* Regum imperio avitam Libertatem fortiter sibi conservavit. Commercia cum exteris gentibus instituta exteriora tantum litora tetigere, nec in regionis mediterraneum peregrini penetrarunt. Quibus patriæ linguæ ab ipsa gente, vetustatis studiosa, amor accessit, hinc cultura indefessa, Sermonem ab omni labe, & temporum injuriis, præstans intactum. Ex his aliisque, nunc seponendis, causis factum, ut Arabum Lingua antiquum habitum, & nativum vigorem, constantem retinuerit. Non quidem diffiteor, ipsam, tanti tempo-

ris

Bibliothek der  
Deutschen  
Morgenländischen  
Gesellschaft



ris decursu, aliquas expertam esse variationes. Neque enim id, ob diversam aëris temperiem, hominumque crasin, sine miraculo aliter fieri potuisset. Non tamen illae nisi exteriorem ejus adspæctum, non interiorem indolem tangunt, nec plus discriminis ab Hebræo sermone inferunt, quam variæ Dialecti communi Græcorum sermoni. Majorem enim diversitatem esse quod multi autument, inde potissimum est, quia multas voces, quas Arabia asservavit, Hebræas esse ideo negant, quia olim fuisse nunc ipsis non constat.

Agnoscent itaque, spero, quotquot æqui sunt rerum Arbitri, Arabicæ Linguæ, & ejus quidem, quæ primigenium suum florem & honorem ad nostra usque tempora pertulit, ultimam antiquitatem, indicem simul intimæ ejus cum Hebræa consanguinitatis, quin nativi et hæreditarii juris, quo illa gaudet, hujus supplendi defectus, vindicem.

Non nunc addam plura, quibus studii, quod addiscendis uti aliis Hebraismi Dialectis, ita maxime Arabicæ, impenditur, summam deprædicem & persuadeam utilitatem. Quæ eo major iis est, qui, divinarum veritatum amantes, Hebræa Lingua, coelestium oraculorum custode, non leviter tingi, sed penitus saturari gestiunt.

Ad Vos itaque me converto, qui hujus scripti finis fuit atque scopus, Generosi, Nobilissimi, ac Doctissimi Commilitones, et, quotquot illibatam illum succum & sanguinem Hebraicæ Literaturæ combibere, genuinis ex fontibus, ad coelestium veritatum ubertatem, haurire serio desideratis, non possum non magnopere cohortari, ut cæteris quoque, dignissimis vestra cultura, & interiori quadam dulcedine se commendaturis, Hebraismi Dialectis, operam & diligentiam vestram addicatis. Quicquid in me est facultatis, id omne vestris usibus & commodis dicatum volo & consecratum. Quamobrem, ne quid desiderari in me patiar, præter ea, quæ jam aperui, Linguæ Hebraicæ & Græcæ, nec non Historiæ Ecclesiasticæ, Collegia, alia adhuc Vobis in *Linguas Orientales* humanissime offero: diebus horisque, quamprimum has Musas arridere vobis intellexero, publice indicandis. Dabam e Museo, Marburgi Cæsarum, d. X. Cal. Iulii M DCC XLIII.



La 260.













D: Da 260

ULB Halle

3/1

000 884 308



